



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quatenus excommunicati debeant vitari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

præcipere, vt unicuique peccata continuò remittantur, qui se tantum indicat, & in genere peccatorem fatetur. Verùm, tu Christiane Lector, Vide, quid hac de re Liber Reformationis præscribat, & nimium impudentis ac peruicacis calumniæ Aduersariorum te miserebit, qui ad cò non considerant, seipfos nullam omninò satisfactionem docere vel exercere: sed eius loco grauem & horribilem contemptum diuinæ Majestatis, dum Rosaria aliquot, Pater noster, vel alias preces, missas, peregrinationes, & id genus alia pro satisfactione hominibus imponunt.

Sanè si Canones valerent, & satisfactiones ab omnibus exigerentur, nemo verò ad falsam & inanem confessionem absolueretur, nisi prius debitam satisfactionem suam demonstrasset, iamdudum Ecclesiæ Dei ab istis suis hostibus, scriptisque calumniosis, & aliis Christianæ Reformationis oppugnationibus liberè ac securæ fuissent. Canonica enim satisfactiones iamdudum ab ordine Clericali, & cumulatorum beneficiorum assumptione eos remouissent: & quamuis se emendarent, ac multa illis gratia impertiretur, tamen solummodò inter Auditores & Procidentales admitterentur.

---

Quarta pars.

*De Excommunicatione.*

*De vnica ratione & via excommunicandi.*

*De Admonitione ante excommunicationem.*

*De iis qui præter Pastorem ad excommunicandum delecti sunt.*

*Quis debeat excommunicare & vbi.*

*Quatenus excommunicati debeant vitari.*

*Quas ob causas Christiana excommunicatio exercenda.*

*Quomodo excommunicati soluendi.*

C A P. CXIII.

**S**ICUT in præcedenti Articulo, ita etiam in hoc præsentì, de Christiana excommunicatione, admodum perfricta fronte, ac temerè Librum Reformationis taxant. Sunt autem sex præcipuè partes, quibus tota Reprehensio continetur. Antididag. fol. 88.

Prima est, Duas esse excommunicandi formas, quas Liber Reformationis confundat, nec rectè distinguat.

Alterà, Librum velle, vt nemo excommunicetur, nisi primum à suo pastore, & certis quibusdam ad hoc designatis, fuerit admonitus.

Tertia, quod peculiare aliquot viros Parocho adiungit, qui peccatores admoneant.